

# JURISPRUDENCIA COMENTADA

Sacra Romana Rota

CORAM

*R.P.D. Joseph M. Serrano*

Nullitatis Matrimonii

DECRETUM

Infrascripti RR. PP. DD. Auditores de Turno, in Sede Tribunalis legitime collecti ad solvendam quae-  
stionem in Causa de qua supra, quae sequuntur, sta-  
tuerunt decernere.

1) D.nus Marius appellationem interposuit coram H. Apostolico Tribunali adversus Sententiam Tribu-  
nalis Matritensem in prima instantia latam circa  
causam matrimonialem de nullitate ab ipso intentam  
contra D.nam Anam, quaeque negative dimissa est  
decisione diei 28 maii 1974.

Constituto Turno die 12 aprilis 1975, Defensor Vinculi voto suo praevio censuit ad ulteriora procedi posse; at nullo alio interveniente actu, ipsem et actor litteras dedit, die 29 octobris 1975, Exc.mo P. D. Decano S. Romanae Rotae, quibus et conquaerebatur de silentio Tribunalis et simul sponte (?) innuebat inter possibles rationes huius morae, interpretatio facti tamquam inhibitio Apostolici Tribunalis propter defectum consensus partium in appellatione interpo-  
sita, iuxta art. 39 M. P. «Apostolico Hispaniarum Nuntio», praeviut ut iudicium apud S. Romanam Rotam videretur. Etenim certum est in casu talem formalem consensum defuisse, obstante contumacia partis conventae, a iudicibus primi gradus declarata.

Litterae, quae praeterea plures solutiones seu pre-  
ces ad obicem sublevandum proponebant, mandato R.P.D. Ponentis ad Exc.mum P. D. Decanum remissae sunt, «qui pro sua prudentia providere ne dedigne-  
tur» (Summ. Ium, fol. 9).

2) Iam age Exc.mus P. D. Decanus petitiones actoris et ipse transmisit ad Exc.mum Secretarium Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis, qui sua vice et mentem expetivit Exc.mi Hispaniae Nuntii, dum hic super toto negotio noticias obtinuit ab Ordinario Loci Matriti. Nescimus tamen utrum inter haec omnia hic inde commutata quae sita, medullam quae-  
stionis aggressus revera quisque fuerit; cum de facto

de competentia S. Romanae Rotae nullibi ullum fiat verbum.

3) Rebus sic stantibus, omnibusque documentis super re collectis in H. A. T., R.P.D. tunc Ponens, perpensis actis, ad Tribunal competens (cfr. *Summ. Ium*, fol. 16) appellationem transmitti iussit, Decreto lato die 13 februarii 1976.

Restituit autem actoris patronus, qui attamen, non sicut de iure a Ponente ad Turnum appellavit (cfr. Normas S. Romanae Rotae, art. 96), sed directe S. T. S. Signaturae Apostolicae adivit recurrens adversus Decretum Ponentis. Supremum vero Tribunal Signaturae utique declaravit actorem posse in casu uti iure suo, cum adhuc ordinariam appellationis viam intra idem Tribunal S. Romanae Rotae ipse expertus non fuisset.

Patronus tunc revera ad Turnum a Ponente appellavit, et die ad decernendum iam statuta, immutatio Ponentis ab Exc.mo Decano facta est, infrascripto loco praecedentis suffecto.

4) Auditis iam omnibus audiendis, quin omissum fuerit requirere votum Rev.mi Promotoris Justitiae, ad solvendam quaestionem deveniendum est: «An nempe Sacra Romana Rota competens dici possit et sit in casu ad videndum in appellatione».

5) Recitat utique art. 39 M.P. «Apostolico Hispaniarum Nuntio», qui normas statuit quibus regitur Rota Nuntiature Apostolicae Matritensis: «Semper integrum erit partibus in hoc mutuo convenientibus, causas directe ad Sacram Romanam Rotam per legitimam appellationem deferre, quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus, in primo gradu diiudicatae fuerint» (can. 1599, § 1, 1.º) (cfr. A.A.S., XXXIX (1947), pag. 155 ss. hisp. «Boletín Oficial del Estado», 6 mayo 1947).

Hoc autem praecipuum, sicut aliud quodlibet interpretatione declarandum est cum adiuncta specialia concurrent in applicatione ad casum singularem. Qui Noster prae se fert quaestiones circa contumaciam; legem privilegio fundatam; et innovatam competentiam inter Dicasteria Sanctae Sedis ex lege recenter inductam.

6) Et imprimis de iuribus partis, quae contumacia nota inusta est, sic exprimitur in scientia processuali canonica auctor facile princeps Em.mus LEGA: «...Alia qualitas in contumacia attendi debuit, nimirum praesumptio renuntiati iuris defensionis ex parte illius sive actoris sive rei, qui instantiam prosequi neglit, vel citationi obtemperari praetermittit, sciens adversario suo tantum praesente et instanti, iudicium posse experiri aut definiri ... At iuri canonico congruit quam maxime recognoscere utrumque contumaciae effectum, ut remedia in contumaces magis responderent tum ordini can. iudicali in lite inchoanda et prosequenda tum maxime auctoritatib[us] et reverentiae iudicu[m] ecclesiasticorum... et naturae negotiorum ecclesiastici fori. Revera comparata sunt

remedia praesumptioni innixae renuntiatione; alia vero poenalia ad compescendum spretum legitimae auctoritatis. In iure novi Codicis praevalet praesumptio renuntiationis ...» (cfr. «Commentarius in Iudicia Ecclesiastica», vol. II, Romae, 1950, pagg. 863-864).

Et WERNZ-VIDAL-CAPPELLO docent: «Sane prosecutio causae in contumacia non habet characterem poenalem, sed est ex una parte medium acuendi diligentiam rei ad se defendendum per actus processuales ab imperito actore, ex alia parte procedit ex legitima praesumptione a legislatore facta, quod reus per suam absentiam renuntiet illi suo iuri, rem remittendo non ad arbitriam actoris petitionem aut arbitriam iudicis decisionem sed ad iustitiam Tribunalis» (cfr. «Ius Canonicum» — De Processibus, tom. VI, Romae, 1949, pag. 524). — Quae observatio horum auctorum maiore ratione videtur sustineri in processu matrimoniali, ubi praesentia Defensoris Vinculi potiorem vim tribuit iustitiae per contradictorium acquisitiae.

Itaque si illud quod enuntiat art. 39 cit. M.P. «Apostolico Hispaniarum Nuntio», nempe necessitas partium consensus ut appellatio fiat ad S. Romanam Rotam, interpretandum est ius partium, quarum alterutra alterutriusque opponi posset voluntati ad Romam rem deferendi; jam patet, generica ratione, vigere praesumptionem a contumacia deductam de renuntiato iure a parte negotium deserente.

7) Tota praeterea regulatio Rotae Nuntiature Hispaniae, quae tot tantaque excellentiora queaque pro administranda Ecclesiae Iustitia per saecula egit; tota, inquam, Tribunalis ordinatio privilegio innititur, scut erui licet vel ex proemio praecitati M.P. «Apostolico Hispaniarum Nuntio»: «APOSTOLICO HISPA-NIARUM NUNTIO constat iam a saeculo XVI a Summis Pontificibus singulare PRIVILEGIUM collatum fuisse ...».

Haec autem privilegii indoles clarissima adhuc eluet praecise in illis praescriptis, quae a iure communi deflectunt.

Inter normas vero generales Nostri Iuris statutum est interpretationem privilegiorum strictam esse debere (cfr. can. 68 cum can. 50): ideoque consensus praerequisitus, qui obest quominus fideles Hispaniae iure communi utantur can. 1599, § 1, 1.º, strictae interpretationi subiciendus est.

Quam interpretationem ingreditur, ni fallimur, quod ubicunque talis consensus impossibilis deveniat independenter a voluntate partium — in QUORUM FAVOREM, non directe in Tribunal, notetur bene, ut clarissimus deinde patebit, PRIVILEGIUM latum est; non ex voluntaria transgressione art. 39 saepe citati, verum ex impossibili eiusdem applicatione, pars uti nolens privilegio, alia renuntiante, non amplius detineatur obice ut iure communi libere uti possit. Addatur quod si consequens ex contumacia esset proventus contumacis, qui partis actricis ius interdiceret, iretur adversus principium quod quemlibet prohibet propria fraude patrocinari (D. 50, 17, 134, 1).

8) Reliquum est ut verbum faciamus de interventu Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis in casu, cum agatur de lege —«Apostolico Hispaniarum Nuntio»— quae vi Conventionis concordatae diei 27 augusti 1953 (art. 25) pertinet ad ambitum relationum Ecclesiam inter et publicas potestates (cfr. Apost. Const. «Regimini Ecclesiae Universae», nn. 26-28).

At de competencia huius Dicasterii in lege recentiore leguntur: «n. 28. Huius S. Consilii est omnia agere quae cum civilibus Guberniis agenda sunt; insuper in ea negotia incumbere, quae eius examini subiciuntur a Summo Pontifice, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus aliquid habent coniunctum; item fovere rationes diplomaticas cum Nationibus; agere quae ad Nuntiaturas, Internuntiaturas, Delegations Apostolicas attinent, collatis consiliis cum Secretaria Status, quacum insuper arctioribus nexibus iungitur, quoties huius quoque competentiam materia pertractanda ingrediatur».

Agnoscendum utique est circa relationes inter Sacram Romanam Rotam et Rotam Nuntiaturae Hispanicae non semel ipsam Sanctam Sedem interventum fecisse.

9) Pretii tamen est nitare observationes Sanctae Sedis potius respexisse art. 41, 28, 29 et 34, quin Nostrum art. 39 in generali Instructione tangerent: cfr. M. CABREROS DE ANTA, apud «Comentarios al Código de Derecho Canónico», vol. III, Madrid, 1964, pagg. 310-311. Inde, ut videtur, quod deduci possit haud negligendi valoris argumenti, ex silentio.

Et cuiusdam momenti est. Nostro quidem iudicio, referre illa quae idem in re praestans Auctor, tradit agens ex professo de laudato art. 39: «Lo dicho no quiere decir que la mente de la Santa Sede, tal como se manifiesta en el Motu Proprio "Apostolico Hispaniarum Nuntio" sea opuesta a que las causas españolas se lleven directamente, en apelación a la Rota Romana, sino que la Santa Sede, no obstante la indiscutible preeminencia y suprema autoridad de la Rota Romana benignamente concede que las causas españolas puedan tramitarse generalmente hasta su conclusión en España. Esta limitación del Derecho de apelación de la Rota Romana favorece A LA PARTE PEOR DOTADA de recursos económicos y que tal vez por no PODER COSTEAR LAS EXPENSAS de la apelación a la Rota Romana verifíase precisada a renunciar a su derecho» (cfr. CABREROS DE ANTA, ibi, pag. 308).

Quibus in verbis ostenditur et character privilegii huiusmodi consensus necessario praeaeuntis (dum possibilis, iuxta dicta) et ratio FAVORIS PARTIS prae oculis habita.

10) Tandem praeterire nequaquam licet, circa praecisam quaestionem Nostro examini propositam, concretam responsonem videri adfuisse occasione unius Oriolen. c. LAMAS (Prot. n. 6314/55): de qua nec mentionem facere omisit Rev.mus Vinculi Defender Nostri A. Tribunalis; quaeque, suggestione

infrascripti Ponentis, distributa fuit una cum Litteris Em.mi P. Decani JULLIEN Patribus de Turno.

In Causa Oriolen. praelaudatus Em.mus JULLIEN referebat: ... «nel caso in parola, la parte convenuta si è resa contumace e per tanto viene a mancare il mutuo consenso richiesto ...» (per transennam notandum haec verba, nec illa responsonis, a Nostro Vinculi Defensore immerita citata esse, quasi quaestione definitive expedientia).

Illa, quae tunc erat Sacra Congregatio pro Negotiis Ecclesiae extraordinariis, litteris datis die 22 decembris 1955, sic se expressit in casu: «a) Secondo il citato art. 39 affinchè, in ogni caso, l'appello di una causa trattata in 1.a istanza da un Tribunale Diocesano possa essere interposto presso la Sacra Romana Rota, anzichè presso il Tribunale Metropolitano, si esige il precedente mutuo accordo delle parti. Ove pertanto risulti che tale accordo non c'è stato, non potrà aver luogo la trattazione della causa in appello presso la S. Romana Rota».

11) De hac tamen responso plures essent sublevandae considerationes: a) de iusdem auctoritate; b) de interpretatione.

Quin ignoretur authenticum exemplar eiusdem documenti apud Archivum Tribunalis S. Romanae Rotae asservari; numquam tamen publici iuris factum est: unde, si et quatenus rite interpretatum, pro casu quo datum est valorem obtinet, et de facto obtinuisse videtur.

At, nullo modo praetermissis novis legibus quae dein supervenerunt et quod in casu agatur de re stricte processuali nullam rationem dicente modo immediato ad relations inter publicas Potestates sed potius inter Ecclesiae Tribunalia.

Litterae S. Congregationis principium genericum proposuisse, de quo nullum dubium moveri poterat; sed negotium aliud erat: nempe, non de absentia consensus, sed de consensus **impossibilitate**, ex absentia alterutriusque consentientium.

Quamobrem infrascriptis Iudicibus visum est allatum documentum —de quo nullam mentionem facit Rev.mus Promotor Iustitiae et ipse adversatus competentiae S. Romanae Rotae ex generalioribus rationibus— non directe nec immediate rem tangere, etiamsi agnoscendum sit redactionis tenorem adeo forte praecuppatum fuisse, ne susceptibilitatem laederet Hispaniae Publicae Potestatis, ut verum punctum dolens consulto vel leviter nimis rebus consideratis, praetermisserit. Quae cum ita sint, talis Responsio Nobis absolute vinculans minime visa est pro Nostra specie ex novo inducta.

12) Omnibus igitur in iure et in facto adamussim perpensis,

a) cum norma quae consensum partium praerequirit ad immediatam appellationem ad Tribunal Apostolicum Sacrae Romanae Rotae pro Hispaniae fidelibus (cfr. art. 39 M.P. «Apostolico Hispaniarum Nun-

tio») privilegio nitatur ideoque strictae interpretationi subienda sit;

b) cum quaestiones de competentia omnino processuales sint habendae nec directe pertinentes ad relationes inter Ecclesiam et Publicas Potestates;

c) cum nequaquam constet de speciali interventu Sanctae Sedis, qui regulet modum sese gerendi in casu absentiae illius consensus, non propter contraria voluntatem alterutriusque consentientis, verum propter impossibilem eiusdem consensus existentiam, absente alterutroque ex consentientibus;

d) auditis Rev.mis Defensore Vinculi ac Iustitiae Promotore H.A.T.,

infrascripti Patres de Turno ad propositam quaestione de competentia Sacrae Romanae Rotae ad videndum in altero iurisdictionis gradu in Causa de

qua supra, respondendum censuere et vi praesentis respondent

de cernentes

appellationem actoris D.ni Marii  
admittendam esse in. casu. Et ad ulteriora procedi posse, servatis de iure servandis.

Quod et notificare iusserunt omnibus quorum interest.

Datum Romae, apud Aedes Apostolici Tribunalis Sacrae Romanae Rotae, die 15 decembris anni 1976.

Angelus Di Felice

Marius F. Pompedda

Joseph M. Serrano Ruiz, Ponens  
Orlandus Di Jorio, Not.

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die  
Raphael Funghini, Not.